
DE CHRISTI DOMINI
ASCENSIONE
ORATIO

Habita in Sacello Pontificio

AB ANGELO FABRONIO

BASILICÆ S. MARIÆ TRANS TYBERIM

CANONICO.



ROMÆ

APUD JOANNEM MARIAM SALVIONI

TYPOGRAPHUM VATICANUM

M. DCC LV.

SUPERIORUM FACULTATE.

SS. DOMINO NOSTRO
BENEDICTO XIV.
PONT. MAX.

ANGELUS FABRONIUS.



Uamquam nihil homini potest accidere vel honorificentius, vel praeclarius, quam id, quod mihi impositum fuit, ut apud Te, BEATISSIME PATER, *verba facerem, ea tamen res non parum mihi curae, atque molestiae attulit. Nam me plurimum commovebat, vehementerque deterrebat Majestas, ac Dignitas Tua, qua ad Deum proxime accedis, ne in locum omnium amplissimum descenderem, quo*

nil nisi perfectum ingenio, elaboratumque industria afferri oportere intelligebam. Recreavit me tamen singularis humanitas, ac clementia Tua, eique tantum tribui, ut omni abjecto metu de Christi Domini in Cælos Ascensu dicendi onus mihi libenter suscipiendum putaverim. Hanc igitur Orationem, BEATISSIME PATER, *supplex & qua maxima decet veneratione Tibi offero, quam vellem tanti esse, ut observantiæ erga Te meæ monumentum ac testimonium maneret perpetuum. Ea enim est virtutis vis, splendor, ac dignitas, ut omnes in sui amorem, atque admirationem pertrahat; cujus quidem imaginem ita expressam habes, ut quam frustra expetierat Plato, in Te nobis liceat intueri. Sed non est hujus loci Tuarum amplissimarum laudum præconium facere. Interea D.O.M. oro, atque obtestor, ut Te ad Populi Romani votum, ad universi Christiani Orbis bonum, gloriam, atque ornamentum diu sospitem, atque incolumem servet.*



ORATIO.



SI ullum umquam tempus, BEATISSIME PATER, nobis concessum est, quo magnopere gaudendum esse videatur, id profecto accidit hodierno die, quo Christus Dominus infimis his terris relictis ad superos, æternumque Patrem evolavit. Quæ enim tanta potest esse dicendi vis, quod tam divinum, atque incredibile ingenium, quo quisquam bonorum magnitudinem, quæ ad nos inde provenerint, verbis exæquare, atque oratione complecti valeat? Profecto immensum quiddam est, atque infinitum, quod Deo immortali debemus, qui hodie *captivam*

ducens captivitatem (a), æternæ vitæ aditum nobis patefecit, quique nos tanta caritate profequutus eſt, ut non modo calamitatem noſtram detraxerit, ſed etiam plurimum honeſtaverit. Quapropter præclare a me factum iri exiſtimo, ſi hinc Orationis meæ argumentum ſumam, quam vos attente, bonaque cum venia excepturos eſſe confido.

Ponite, quæſo, ante oculos infeliciſſimam humanæ naturæ conditionem, ad quam primi hominis iniquitate pervenerat: obverſentur animis exitioſi, peſtilenteſque illius culpæ effectus, quo facilius miſericordiam, ac clementiam Dei ſingularem perſpiciamus. Num qui ſtatus excogitari deterior poterat? num quid niſi caliginis, cæcitatis, ac miſeriarum plenum? In quantos errores, in quod ſtultitiæ, atque inſcientiæ barathrum prolapſi mortales! Illorum pectora teterrimus, ac fallaciſſimus hoſtis uſque adeo occupaverat, ut quum nullis jam terminis, ac cancellis impietas contineretur, deliberaverit Deus, quaſi facti pertæſus, humanum genus funditus de terra tollere, ac penitus exſtirpare. *Delebo*, inquit, *hominem*, *quem creavi*, *a facie terræ (b)*. Quibus tot incommodis reme-

(a) *Ad Eph.* 4. 8.   (b) *Gen.* 6. 7.

remedium ſane erat nullum, niſi unus inventus eſſet Jeſus qui Patrem propitiaret (*a*), quique omnium pernicioſiſſimo bello extincto æternam nobis pacem, ac tranquillitatem reportaret. Itaque Chriſtus, ut nos redimeret de maledicto legis, factus eſt pro nobis maledictum (*b*), atque una nobiſcum degens in ſimilitudinem carnis peccati (*c*), non probra, non convicia, non mortem denique turpem, acerbiſſimamque recuſavit, ut humanum genus æterno Patri reconciliaret, atque ab interitu vindicaret. Quid vultis amplius? Neceſſe tamen erat, ut tantum, ac tam præclarum Reparationis noſtræ opus hodierna die perficeretur, qua Chriſtus humanæ naturæ primitias Patri offerens, Regni cæleſtis fores reſeravit, ut nos ſummæ ejus felicitatis, æternæque beatitudinis participes haberet. Hoc enim unum omnis actæ in terris vitæ curſu ſpectavit, hæc fuit cauſa (*d*) quamobrem tam dira, atque immania perferre non dubitaverit. Videte nunc quam admirabilis, ac inaudita Servatoris noſtri benignitas fuerit, cujus beneficio nos, qui terra videbamur indigni, hodie Cælos pervaſimus;

qui

(*a*) *Job.* 33. 24.
(*b*) *Ad Gal.* 3. 13.
(*c*) *Ad Rom.* 8. 3.
(*d*) *Chryſoſt. Homil. de Aſcen.*

qui morte damnati fuimus, immortalitate donamur; & qui ab omni terreno principatu, atque honore excideramus, ad cæleste supernumque regnum triumphantes evehimur. Nonne satis erat ad amœnissimam, e qua pulsi fuerant primi parentes, Paradisi regionem potuisse reverti? Quanti illud fuisset, durissimæ servitutis vinculis abruptis, in liberas æternasque sedes supra omnem astrorum altitudinem ascendere? Quis neget longe plurimum nobis tributum iri honoris, si intra beatissima Angelorum agmina humanæ naturæ versari contigisset? Verum (incredibile dictu!) quæ cunctis olim erat abjectior, cunctis est hodie facta sublimior. Ipsa enim universos prætergressa est Angelicos Ordines, nec prius substitit, quam æterni Patris gloriæ proxime conjuncta illius ad dextram collocaretur. Quid ergo gloriosius, quid honorificentius nobis accidere potuit? Satisne in Christum Jesum umquam grati videbimur, qui, ut calamitatem nostram levaret, ipsius calamitatis socius esse voluit, qui pro nostra salute nullum supplicium, nullum vitæ discrimen sibi vitandum putavit, qui nos ad tantum dignitatis fastigium evexit, quantum non dicam sperandum, sed ne optandum quidem videretur? Quæ memoria, quæ vis ingenii,

quæ magnitudo obſervantiæ tot, tantiſque beneficiis reſpondere poterit? Sed quoniam, ut S. Leonis verbis utar (*a*), Aſcenſio Chriſti noſtra provectio eſt, & quo proceſsit gloria Capitis, eo ſpes vocatur & corporis, quumque certiſsimum ſit non habitandi locum, ſed commorandi diverſorium nobis in terris eſſe conceſſum; quanta nos idcirco erigi ſpe decet, fore aliquando, ut tot tantiſque miſeriis, quibus humana vita propoſita eſt, morte perfuncti, in æternam gloriam, atque in tutum illum, tranquillumque felicitatis, ac quietis portum recipiamur? Deſinant igitur, deſinant homines de ſua ſorte conqueri; ſors enim noſtra Chriſtus jam factus eſt. Agnoſcamus, Auditores, agnoſcamus inſignem nobilitatem, quam hodie adepti ſumus, atque Apoſtoli inhærendo præceptis (*b*) hæc cura infixa ſit animis noſtris ſempiterna, ut nihil de terrenis rebus ſolliciti, cæleſtia tantummodo perquiramus. Quod ſi quis exiſtimat nobis auxilii aliquid, præſidiique eo detractum eſſe, quod Chriſtus ab hominibus diſceſſerit, is profecto vehementer errat. Etenim licet ipſe non amplius in terris humana forma ſe conſpiciendum præbeat, pollicitus tamen

(*a*) *Serm.* 1. *de Aſcenſ.* (*b*) *Coloſſ.* 3. 1. & 2.

tamen eſt, divino modo futurum nobiſcum uſque ad conſummationem ſæculi (a); quin etiam quotidie interpellans pro nobis (b), eo ſtudio cauſam noſtram apud Patrem tuetur, ut nihil illi tam acceptum, quam humanum genus, nihil tam carum, quam noſtra ſalus eſſe videatur. Quid quod ſi ex ejuſdem in Cælos Aſcenſu plurimum Eccleſiæ momenti, atque utilitatis acceſsit? Teſtem appello beatiſsimum illum Apoſtolorum cœtum, per quos ipſa Eccleſia munienda, atque firmanda erat, qui licet quotidiana Divini Verbi conſuetudine uterentur, licet ſanctiſsimis ejuſdem imbuerentur præceptis, ſumma tamen erat ante hoc tempus in illis infirmitas, ut omnia paverent, omnia dolerent, ac vel levi concuſſi motu illico proſternerentur. At poſtquam Chriſtus cælum aſcendit, quam repente immutati, qua luce illuſtrati, qua caritate incenſi, qua fide roborati! Etenim Divini Spiritus dona, illa, inquam, dona, quibus Dei formatur Eccleſia, unde ad illos niſi ex hodierna ſolemnitate profluxerunt? *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, ſi autem abiero, mittam eum ad vos* (c). Quid ita? Nonne poterat

(a) *Matth.* 28. 20.
(b) *Ad Rom.* 8. 34. *ad Heb.* 7. 25.
(c) *Jo.* 16. 7.

terat Chriſtus large, effuſeque id ipſum perficere, dum is adhuc in terris degeret? Credo equidem: ſed par erat illum prius dignitatis ſuæ, quam noſtræ utilitatis rationem habere, quia ut eſt apud Joannem (*a*): *Nondum erat Spiritus datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus*. Quæ quum ita ſe habeant, quis erit animo tam crudeli atque impio, qui ſingulari Chriſti Jeſu erga nos amori amore reſpondere, & quoniam inops referre gratiam non poteſt, habere ſaltem recuſet? Quis adeo omnis ſenſus expers, qui quum tam fauſtus, tam felix nobis dies illuxerit, ſe totum gaudio lætitiaque compleri non ſentiat? Age igitur: *Omnes gentes plaudite manibus: jubilate Deo in voce exultationis. Aſcendit Deus in jubilo, & Dominus in voce tubæ* (*b*).

(*a*) *Jo.* 7. 39. (*b*) *Pſ.* 46. 1. & 5.